

1699.

1. ^{1^o} Cramerus, Iohannes Fritavianus: De causis consistens libris
2. Saubert 1699: 1737
2. ^{2^o} Goeckel, Rudolphus Christianus: De moribus pietatis.
vulgo in Leyden, Hembren, Pfend oder Parlet
Aembleris
3. ^{3^o} Baerius, Georgius Nicolaus: De reintegratione
in matrimonium
4. ^{4^o} ^{2^o} Heberer, Iohann Wueffgenus: De arrogatione ipsorum.
que effectibus, tam quoad jus vetus, quam novum,
affecta similitudine, quam sortitus cum unione
prelimium 1699: 1725
5. ^{5^o} Hildebrandus, Henricus: De punctationibus vulgo in
Entwurffen oder erbeten Aufsätzen
6. ^{6^o} Hildebrandus, Henricus: Mandata secreta.
7. ^{7^o} Roetenbeccus, Georgius Paulus: An mare domini
sive imperii sit capax.

1700

1^o Hildebrandus, Henricus : De denegatione servitorum
ferventium. Von Versagen der Pächter in Letzen Diente

2 Sept. 1700 & 1789

2. Hildebrandus, Henricus : Praevalentiam actionum in
foro . . . servitorum ventilatione exhibit

3. Reizenleiter, Johannes Henricus : De inventioni praesens

4. Rink, Eucharum Gotthel et Jun, Franciscus, von :

De carrociis

5. Rothenbeccius, Georgius Paulus : De ciuitatis siue rei-

publicae causa efficiente tam stricte dicta quam

impulsiva

6^o Helgerus, Georgius Petrus : De iuribus stolae

2 Sept. 1700 & 1756

1701.

1. Hildebrandus, Henricus : De augmento culpae

2. Riess, Stephan Faculus: De ecclesiis filialibus
eiusque juribus
3. Roeser, Georgii Hieronymus: De philtrom agentis
novo et novo.
4. Rutenhof, Johann Hieronymus: De reticentia rerum
collectivis obnoxiarum. Vn. Verhalten Steuerbaren
Verunglim.
- 5^a et 5^b Spiziger, Felix: De procuratoribus canonicis.
Vn. Viriditatem. Mahler i. Vorpflanzungen. 1. Exmp.
- 6^a Sandmeier, Johann David: De declaratione honoris iniuriatio
ab iniurante facta. 1701.
- 6^b " " " " " " " " 1701. 2. Exmp.

Handwritten text on the right edge of the page, partially obscured by the binding. The text is written in a cursive script and appears to be a library or archival label.



15

1700. 5

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
DE
CIVITATIS SIVE REIPUBLICÆ
CAUSA EFFICIENTE
TAM STRICTE DICTA QUAM IMPULSIVA,
discrepantes de ea opiniones ad Philosophiæ Eclecticæ lancem
trutinans, &, quatenus Aristotelica admitti possit sententia,
demonstrans.

Quam

PRÆSIDE

DN. M. GEORGIO PAVLO RÖTENBECCIO,
Log. & Polit. Prof. Publ. Celeberrimo,

Pro

Summis in Philosophia Honoribus impetrandis,

d. 22. Jun. 1700.

placida disquisitioni subjicit

JOHANNES LEONHARDVS KVL MICH, Norimb.

ALTDORFI,

Literis HENRICI MEYERI, Universitatis Typographi.



DISPUTATIO PHILOSOPHICA
DE
CIVITATIS SIVE REIPUBLICAE
CAUSA EFFICIENTE
TAM STRICTE DICTA QUAM IMPLICITE

discrepances de es opiniones ad Philosophia Helvetica lancom
truncas, & quatenus Aristoteles abant in postulerentis,

DEO

&

MÆCENATIBVS

S.

Summis in Philosophia honoribus imperandis

1700. Jul. 22.

Philosophia Helvetica

JOHANNES LEONHARDUS KATMICH, Norimb.

Altdorf.

In a. Henrici Meyeri, Universitatis Typographi.





I. N. 7.

DE CIVITATIS sive REIPUBLICÆ CAUSA EFFICIENTE tam STRICTE DICTA quam IMPULSIVA, in præsens agere, JUSSU inprimis & AVTORITATE AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ, cum sit animus, abs re haud fore putamus, si, quo feliciter ad metam propositam pertingere nobis liceat, totam rem tribus distinctis capitibus ita complectamur, ut varia primum variorum Autorum sententiæ in conspectum veniant: deinde terminorum quorundam evolutio, qua fieri poterit brevitate, legentium oculis subjiciatur: tandem certior sententiæ clare distincteque proponatur, atque cum aliorum Autorum sententiis, quoad fieri potest, concilietur. Faxit DEVS feliciter!

CAPVT I.

Varias Autorum sententias enumerans.

§. 1.

VT igitur à recensione variarum sententiarum exordium faciamus, istas Autorum opiniones vix expressam mentionem mereri putamus, cum vel civitatis originem a Fortuna petere quidam cum Epicuro volunt, vel ejus causas nimis accidentales, aut non tam civitatis quam Societatis in genere, aut exstructorum ædificiorum, allegant. De quibus plenius informare Lectorem cupidum posset Programma VII. πολυμνηστειτς quondam Viri Jac. Thomasi, de primis Rerumpublicarum Originibus, nec non hujus Academiæ Philosophi olim Celeberrimi, deque ea meritissimi Job. Paul. Felwingeri Diss. de genuina Rerumpublicarum Origine.

A 2

§. 2. Ma-

Variae sen-
tentiæ.
I.

§. 2. Majori consideratione dignas arbitramur sequentes opi-
niones, quas inter notari primo posset, quæ *Violentiam* causam
esse pronunciat. *Bodini* cum primis ea est sententia, quam *Lib. I.*
„ *de Republ. c. 6. p. 46. (71. 72.)* ita proponit: Eo nos ipsa ratio de-
„ ducit, Imperia scil. ac Respublicas *vi* primum coaluisse; etiam
„ si ab historia deseramus: quanquam pleni sunt libri, plena anti-
„ quitas, plenæ leges: primum illud hominum genus nihil prius
„ habuisse, quam obvios quosq; spoliare, diripere, occidere, aut
„ in servitutum adigere, testis est historia sacra, qua docemur,
„ Nimrodum Chami nepotem primum omnium homines sub im-
„ perium & subjunxisse, ac dominatus fundamenta in Assyria je-
„ cisse; hinc robustus venator dictus est, quo nomine scriptura
„ prædonem intelligi vult -- atque in eo falli mihi videntur Aristo-
„ teles, inquam, Demosthenes, Cicero, qui Herodotum (opi-
„ nor) secuti, principio reges ob summam integritatis ac justitiæ
„ opinionem principatum adeptos fuisse arbitrantur &c. *Menarino*
similem sententiam adscribit *Daniel Clasen in Compend. Polit. l. 1. c. 7.*
§. 4. p. 96. Quam sententiam nec *Alexandr. Irvino* displicuisse, ex
ipsum *Diascepsi de Jure Regni cap. 2.* discimus.

II.

§. 3. *Metum mutuum*, quatenus hoc nomine potissimum
futuri mali prospectus & præcautio vel diffidentia intelligitur, ci-
vilitatis causam esse defendit *Th. Hobbes. cap. 1. de Cive §. 2. p. 6* ex-
„ pressis verbis asserens: Originem magnarum & diuturnarum
„ societatum (atque adeo civitatum) non a mutua hominum be-
„ nevolentia, sed a mutuo metu existisse. Quam metus mutui
causam partim a naturali hominum æqualitate, partim a mutua
lædendi voluntate fusius in seqq. probare conatur, quorum sum-
mam in compendio nobis exhibet *Clasenius in Politica sua p. 96. 97.*
Herodoto ac Diodoro Siculo eandem sententiam tribuit *Kecker-*
mannus in Præcognitis Systematis Polit. p. 893. Expressis etiam verbis
sententiam hanc profitetur *Fr. Patricius de Inst. Reip. lib. 1. Tit. 3.*
„ p. 19. ubi constat, inquit, primam rationem eorum qui civilem
„ societatem instituerunt fuisse, ut tute degerent & a vi atq; impetu
„ munirentur. Tranquillitas namque vitæ dux illis extitit ad innu-
„ merabiles commoditates excogitandas. *Grotius* pariter *Lib. 1. de*
J. B. ac P. cap. IV. §. 7. n. 3. eodem propendisse cognoscitur, cum
„ scribit: Primo homines non DEI præcepto, sed sponte adductos
expe-

experimento infirmitatis familiarum segregum *adversus violentiam* in societatem civilem coisse.

§. 4. *Indigentiam* à Platone civitatis causam fuisse habitam non pauci opinantur, atque ita etiam Platonem interpretatur Celeb. *Pufendorfius* loco infra citando, (*cap. 3. §. 17.*) quomodo & *Conringius* *Disp. de Cive & Civitate in genere §. XLII. & XLIV.* mentem ejus declarat. Notandum tamen, *indigentiam* à quibusdam ita exponi, ut metum inde non excludant, quomodo *indigentiam* à *Cl. Becmanno* acceptam legimus *Meditat. Pol. IV. §. 3.* ubi, de societate quidem in genere loquens, pro causa ejus habet *indigentiam* humanam, exclusa natura (ut ex seq. §. apparet) *indigentiam* tamen sic exponens, ut *duos ejus fontes agnoscat: Desiderium propriorum commodorum & mutuam metum.* Quo significatu supposito, qui proximo §. 3. citati à nobis fuerunt Autores, *indigentiam* civitatis causam admisisse dici quoque possent, & *Grotius* cum primis, qui *infirmitatis* (quæ *indigentiam* præ se fert,) voce est usus.

III.

§. 5. Sunt vero insuper, qui *Naturam* potius Civitatis causam esse profitentur, inter quos agmen ducit *Aristoteles*, qui *I. Polit. c. 2.* apertissimis verbis, civitatis originem a natura derivat, *Omnis civitas*, inquit, *naturâ* est: si quidem & primæ societates; nam hæc illarum finis: natura vero finis est. Quale enim unumquodque est generationis perfectæ, hanc uniuscujusq; naturam esse dicimus: ceu hominis, equi, domus. Insuper cujus gratia & finis, optimum: sufficientia vero finis, & optimum. Ex his igitur patet civitatem esse ex his, quæ *naturâ* sunt, & quod *homo naturâ civile est animal.* Et qui absque civitate est per naturam, non per fortunam, aut nequam est, aut potior quam homo &c. Videantur pro Aristotelica sententia passim Commentatores magno numero. Summo hanc etiam conatu defendere studuit *Magnus Hefenthalerus* in eruditiss. *Disp. quam inscripsit Platen Politicum §. IX-XXIV.* addatur ejusdem *Athleta Politicus* class. 3. qu. 1. Nec una vice Aristotelis causam strenue egit è *παράδειγμα* Dn. *J. P. Felwingerus* in *Disputatione* cum primis *de Disputatione*, in fine, & *Disp. de Cive ac Civitate*, cui, quæstionis: *an civitatis prima origo sit ex necessitate, vel utilitate, vel natura,* prolixior ventilatio, est inserta. Ita quoque Aristotelica hæc sententia

IV.



III
 tentia Consultissimo arrisit Zieglero, ut in *Commentario suo Grotiano* p. 176. scribere non sit veritus: In hoc à Grotio dissentimus, quod homines metu violentiæ externæ, primum in societatem coierint: adeoque cum Aristotele statuimus, hominem naturâ, hoc est, naturæ innato instinctu ad Civilem societatem ferri, etiam omni malorum metu absente. Aliis tamen Aristotelicæ sententiæ fautoribus id potius placuisse cernimus, ut metum aliasve causas non tam excluderent vel reticerent, quam *secundariis causis* annumerarent, *primariæ causæ* honorem soli Naturæ relinquendo. Quos propterea una cum cæteris, qui plures unâ causas expresse numerarunt, ad novam classem referre licebit.

V.

§. 6. Ex his nunc itaque quibus unam civitatis causam exprimere satis non fuit, ita sentiunt aliqui, ut *naturam principem causam inter cæteras* appellent: id quod Aristotelicos nonnullos velle, modò diximus. Quorum ex numero citari potest Celeb. J. H. Bœclerus l. 1. c. 1. *Instit. Polit.* pag. 9. 10. Epsteinus in *notis ad Hornium* p. 153. 154. & *Dissert. de Origine Juris.* Dan. Clasenius in *Comp. Pol.* pag. 99. Petr. Laurembergius in *Epitome Prudentiæ Civilis* cap. IV. §. 2. 5. & Danaus in *Polit. Christ.* p. 23. (qui tamen inter Urbem & Rempublicam distinguere voluisse, & urbium ratione metum agnovisse videtur) Alii, Aristoteli tantopere non addicti, Metum potius *primariæ causæ* nomine dignantur, quæ sententiæ placuit Celeberrimis Juris Naturæ Consultis, Pufendorfio & Thomasio, locis infra citandis. Conspirat quodammodo in eandem sententiam Celeb. Job. Nicol. Herzius, qui mentem suam in *Elementis Prudentiæ Civilis Part. 1. Sect. 3. §. 3.* ita nobis interpretatur: Causas illas (à Platone scil. Bodino, Grotio, Hobbesio paulo ante citatas) jungimus & considerationem malorum, quæ naturalem statum comitantur, ac nulla alia ratione, quam junctis invicem viribus, mutuoque implicita salute propulsari possunt, in civiles coetus coëgisse homines asserimus. -- Et hanc genuinam principemque esse causam non tantum experientia rerum magistra docet, sed & ratio confirmat: qui tamen Autor Clariss. Civilem societatem *suaderi saltem a recta ratione, non ab ipsiusmet naturæ instituto provenisse* putat. Alii, Natura non quidem exclusâ, ac forte inter primarias etiam causas collocata, *indigentiam metui prætulisse* videri possunt, e g. Barth. Keckermannus in *Præcogn. Syst. Polit.* p. 895. 896. cui suffragari voluisse Burgersdicius

dicius in *Idea sua Politica* ejusque Commentator G. Hornius videntur: quorum ille *originem traxisse Politicam societatem à natura*, hanc vero *natura propensionem, excitatam tum egestate, tum periculo*, fuisse ait cap. 1. §. 5. & 6. hic *causam Efficientem Politie impulsivam internam naturam lumen naturæ sive rectam rationem* dicit; *Impulsivas tres has precipuas, mutuam indigentiam, mutuam defensionem, & studium religionis.*

CAP. II.

Terminorum quorundam evolutionem sistens.

§. I.

UT tanto apertior nostra sit de *Origine Reipublicæ* sententia, terminorum quorundam explicationem præmittere consultum arbitramur. Et de voce quidem *Reipublica* hoc monendum ducimus, quod, licet inter *Rempublicam & civitatem* creberrime Politici distinguant, utpote dum alii civitatem à *Republ. ut partem à parte*, materialem scil. à formali differre putant, alii ut *totum à parte* distinguere malint, & civitatem instar *Totius* (adeoque *concretivæ*) *Rempublicam* instar *Partis* (adeoque *abstractivæ*) concipiendam dicant; nos tamen seposito illo discrimine, quod ex suo instituto alii observant, pro nostro instituto utrasque voces promiscue & *in concreto* simus adhibaturi: cum maxime hac ipsa in quaestione ab aliis jam Autoribus istæ voces commutatae inter se fuerint. Et utriusque proinde nomine intelligimus *cætum perfectum liberorum hominum, Juris fruendi & communis utilitatis causa sociatum*, quæ *Grotii de J. B. ac P. lib. 1. c. 1. §. 14.* est definitio, seu quomodo *Celeberr. Pufendorf. lib. 2. de Off. H. & C. cap. 6. §. 10.* definivit, *personam moralem compositam, cujus voluntas ex plurium pactis implicita & unita pro voluntate omnium habetur, ut singulorum viribus & facultatibus ad pacem & securitatem communem uti possit.* Seu ut brevius non tamen dissimili modo, expressit *Joh. Nicol. Herzius in Elem. Juris Civ. Part. 1. Sect. 2. §. 4.* *Communitatem multorum hominum mutuis eorundem pactis conflatam & potestate instructam, qua singulorum viribus ad vitam securam & beatam uti possit.*

Reipubl. & civitatis significatus

quid sit

Reip.

quid sit

quid sit

§. 2. De

Causæ Ef-
ficientis si-
gnificatus

strictior

impulsiva.

Duplex.

interna

externa

§. 2. De nomine *Causæ Efficientis* illud monendum ducimus, in tam *lato* significato eam quandoq; adhiberi, ut *impulsivam* comprehendat: interdum *strictius* accipi, ut eam excludat. Scilicet quod strictam ejus acceptionem spectat, intelligitur isto nomine ejusmodi causa, *quæ vel motu physico eog, corporeo, vel alia quadam actione proprie tali, vel in foro morum pro tali habita, effectum suum producit aut sistit*: utpote cum vel artifex opus aliquod sensibile per mera instrumenta corporea, motu corporeo interveniente, extruit, fabricat, condit aut simili modo efficit, vel mens nostra insensibili & spiritali modo actionem intelligendi sive volendi edit aut intentione sua sic se gerit, ut effectus aliquis imputari ei possit. Si quid tali motu vel actione aut intentione effectum suum non attingat, nomen *Efficientis Causæ* imponi tum non solet: Ita verbi causa injuria nobis illata, respectu certaminis alicujus gladiatorii cum altero suscepti, quia motu vel physico vel tali actione qualis ad causam efficientem modo requirebatur, ad certamen istud non concurrat, efficientis quoque causæ nomen, dicto sensu reportare non solet, & quia tamen certaminis gladiatorii causam, injuriam appellare plerique non dubitant, alio quam efficientis causæ nomine compellare eam necesse habent, qui strictum causæ efficientis significatum supponere volunt. Itaque *impulsivam* vocandam esse arbitrantur, non eo sensu, quasi vera actione aut motu aliquo Physico ad aliquid impellat (veluti ad lapsum aliquem sæpe impellimus dum loco deturbamus) sed quod mediante sui cognitione, appetitum hominis injuria affecti, ad certamen gladiatorium suscipiendum excitet urgeatque.

§. 3. Quandoquidem vero causarum harum, efficientem causam dicto modo impellentium non una eademq; est ratio, non unus idemque impulsus, duo illarum genera constiui solent: alterum, quod impulsivam internam sive *ενεργητικὴν*, alterum, quod externam sive *γενεαποικτικὴν* appellant: adeoque per causam impulsivam internam intelligunt quoddam in agente cognoscendi vi prædito inexistens principium, quo appetitus ipsius ad agendum excitatur: cujusmodi principia ajunt esse præcipue affectus, & actiones internas, actusque cognoscendi, quomodo v. g. & perceptio injuriæ illatæ, & quæ inde accenditur ira, ad certamen gladiatorium multos sæpe movent; Per Causam verò Externam intelligunt principium sub ratione boni vel mali ad agendum movens, quo-

quomodo meritum ad decernendum præmium, & injuria illata ad certamen gladiatorium movet. Consulatur acutissimus *Petr. Musæus in Institut. Metaph. cap. 26.*

§. 4. Insuper cum Causæ Impulsivæ neque ad *Finalem* (quorum ^{Efficiens} externas referendas esse aliqui putant) neque ad *Efficientem* ^{late dicta} (quorum internas aliqui referre conantur) commode reduci possint, nisi Causæ *Efficientis* & *Finalis* nomina ampliuntur: nonnulli vulgaris *Causarum* in quatuor genera *Efficientem* scilicet *Finalem Materialem* & *Formalem*, divisionis, Patroni veriti, ne quam injuriam receptissimæ huic divisioni infligant, ita *Efficientis Causæ* nomen extendi voluerunt, ut quotquot *ex impulsivis causis* ad cæterarum aliquam reduci non posse perspicerent, intra *Efficientis causæ* potestaria cogere non sint veriti.

§. 5. E quo latiore causæ efficientis significato, illa etiam quorundam *Causæ Efficientis* propullulavit *subdivisio*, qua in *Principalem* ^{ejus divi-} & *minus Principalem* dispesci, ac prior (*Principalis*) rursus in agentem & dirigentem sive exemplarem, posterior (*minus Principalis*) in *Impulsivam* tam *Internam* quam *Externam* sive *Instrumentalem* subdividit cernitur. vid. *Calovius in Metaph. div. c. 15. §. 11.* nec non *Swe- lingius in Clave Scient. P. 2. c. 31. §. 6. p. 130.* & *Job. Greydanus in Institut. Metaph. Tr. 2. c. 20. §. 27. 28.* quamvis posteriores duo a priore in hoc dissentiant, quod Exemplarem ad Efficientem haud referant.

§. 6. Utque præsentis materiæ hæcenus dicta applicemus, atque de Tituli, qui disputationi nostræ est præfixus, ratione, rectius constet, sciendum, in hac *de Civitatis Causa Efficiente* quæstione, *Efficientis Causæ* nomine latius sumto, ita nonnullos Autores delectari, ut referre ad eam tales non dubitent, quæ ipsam Efficientem impellunt, ut Rempublicam sive civitatem condant, etiamsi has alii Clariss. Viri, quorum animis strictior obversatur causæ efficientis notio, à Causa Efficiente distinguere malint.

§. 7. Quamvis vero strictior Causæ Efficientis, quo Impulsivæ ^{Latio- r si-} contradistinguitur significatus, nec ipse nobis alias displiceat, in- ^{gnificatus} stituto tamen præsentis Disputationis latiore illum significatum ^{eligitur.} vel ideo magis convenire putavimus, quia a plurimis iste significatus in quæst. præsentis jam fuit adhibitus; etsi cum nemine litigaturi, qui impulsivam efficienti contradistinguant. quandoquidem in *λογωμαχίαν* aliquam degenerare hanc liticulam Metaphysicam persuasi sumus.

B

CAP. III.

CAP. III.

*Genuinam sententiam proponens eandemq;
cum aliorum sententiis concilians.*

§. 1.

Civitas
five Reipubl. causa,
DEVS.

Quod si omnis boni fons & origo DEUS est, nullum quoque dubium, quin civitatis, rei inter homines nobilissimæ & pulcherrimæ principia a nobilissimo illo & Supremo Ente sint deducenda. Ex hoc persuasionis pulsu Gentiles Antiquissimi ad DEOS Autores Originem urbium suarum, jactantia etiam singularis ortus, non tantum generali dedicatione referebant. „ Datur hæc „ venia (inquit historiæ Latinæ Princeps *Titus Livius in Prefat. „ historie sue*) antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat. Et, si cui populo licere oportet, „ consecrare origines suas, & ad DEOS referre auctores; ea belli „ gloria est populo Romano: ut quum suum, conditorisq; sui parentem Martem potissimum ferat; tam & hoc gentes humanæ „ patiantur æquo animo, quam imperium patiuntur. Ad quæ Livii verba scite exclamat *Cyriacus Lentulus in Politicis suis Parte „ anter. pag. 148.* quod per umbram superstitionis Gentilis vidit, id „ nec in plena luce contempleremur? quod fabulis adpersis contaminavit, veritate duce simplicius non consideremus? DEO igitur non cæco fortunæ casui, DEO non hominum malitiæ, DEO „ non pravo genio urbium & obeundorum coetuum & imperiorum „ originem debemus.

§. 2. Equidem, cum ad Entium naturalium modum se non habeat civitas, sed Entibus moralibus five civilibus sit annumeranda; eo modo, ut Entia naturalia, five generari five creari nequit, neque adeo causam aliquam *Efficientem physicam* agnoscit; sed hoc potius cum cæteris Entibus moralibus five civilibus commune habet, quod ad *moralem causam* referri debeat.

Probatur. §. 3. Sed hujus natura five ratio, cum in eo consistat, quod vel permittendo, vel suadendo aut consulendo, vel autoritatem communicando, vel media suppeditando five applicando, vel præcipiendo, vel aliis ejusmodi aut contrariis modis, verbo; intentione quadam mentis directa vel indirecta effectum suum procurat aut præstet; quin DEVS quoque civitatis five Reipubl. causa talis

talis haberi debeat, quis ambiget, si, quam plurima instrumenta aut media quæ ad societatem hanc instituendam atque percolendam divina benignitas suppeditat, si, quam plurima ad eam pertinentia ordinet, jubeat aut prohibeat Divina sapientia, si, quantum splendoris & autoritatis Imperantibus impertiat Divina Majestas, si, quanta cura & sollicitudine Respublicas earumque Rectores tueatur, conservet, vindicet Divina Providentia levi saltem consideratione ne dum attentiore animo secum volvat ac ruminet?

§. 4. Pleni sunt testimoniorum de hisce non tantum Scriptores sacri, sed & profani ac Gentiles, quæ celeberrimorum Virorum industria dudum sunt collecta. Evolvatur ex iis saltem *Adamus Contzen lib. 1. Politic. cap. 5. 6. 7. usque ad 14. Dignissimi etiam quos hac in re consulamus, Theodorus Graswinckel de Jure Majestatis cap. 1. Job. Henr. Boëclerus in aurea Disput. de Auspicio Regio, ubi Ethnicorum testimonia confertim adducuntur, Job. item Wandalinus in exquisitissimo Tract. de Jure Regio lib. 1. cap. 4. & lib. 4. cap. 1. Nec tam ineptiisse quenquam putamus, qui ad primam hanc & universalem omnium rerum omnisq; boni causam tam nobilem effectum non aliqua saltem ratione retulerit, nisi qui vel DEVM ipsum cum Atheis, vel ejus duntaxat Providentiam cum Epicureis negare fuerit ausus.*

§. 5. Nec proinde inter eos, quos superiore cap. 1. recensuimus Autores, quenquam, Epicuro excepto, esse putes, qui DEVM inter causas Reipublicæ referre nollet, utut, quia de causis secundis ibi sermo erat, expressa ejus mentio non fuerit injecta.

§. 6. Fatendum tamen de eo non adeo consentire Moralis ac Civitas an Civilis sapientiæ Scriptores: *instituerit ne DEUS aut praeceperit* hanc societatem, *an minus?* divinum institutum

§. 7. Pro Divino enim instituto vix videtur agnoscere velle *Magnus Grotius Lib. I. de J. B. ac P. cap. IV §. 7. n. 3. quando probatam duntaxat à DEO supponens, ideo divinam ordinationem vocari putat, quia hominum salubre institutum DEVS probavit. Nec minus qui ex naturæ instituto Respublicas esse negant (quandoquidem naturæ nomine DEVM ipsum intelligere eos, nisi obscure loqui velint, est necesse) opinionis talis rei censerent; quos tamen obscurare hoc ipso divinam civitatis, & quæ in ea est, summæ potestatis originem dolent alii Clarissimi Viri, ab ipso DEO* alii negant
alii vero



affirmant institutam non solum, sed & præceptam esse expresse profitentes, utpote modo citatus *Bæclerus* Comment. in Grot. l. 1. cap. 3. §. 6. p. 203. *Magnus Hefenthaler* in *Athleta Polit.* classe 3. qu. 1. p. 138. & in *Plaste Politico* §. 21. p. 30. *Christ. Besoldus* l. 1. *Polit. c. 1.* §. 15. nec non *Job. Andr. Bosius* in *Introd. ad notitiam Rerumpubl.* cap. X. §. 17. qui falsum est, ait, *Imperia esse tantum a DEO & Jure Nat. suadente sive permissive & approbative, aut tacito DEI jussu, non autem præcepto, ut volebat Ferd. Vasquius notatus & confutatus à Bæclero, quo etiam inclinare videtur Grotius.*

Affirmati-
va eligitur. §. 8. Enimvero ut Respublicas ad *Divinum institutum* cum Celeberrimis Viris jam citatis referamus, easdemque præceptas à DEO agnoscamus, eorum consideratione quæ infra occurrent DEUMque Autorem non prodere non possunt, victos nos penitus putamus, facileque adeo suffragamur *Illustri Pufendorffio* suam de hoc mentem, egregiis hisce verbis in *Disp. de Concordia Vera Politicæ cum Religione Christiana*, explicantem: Societatis civilis, scribens, DEUM esse Autorem, & divinæ literæ passim insinuant, & ipsa ratio firmiter evincit. Equidem præceptum expressum in divinis literis non extat, quo Patresfamilias, qui antea seorsim suam quisque familiam rexerant, a DEO in societatem civilem coire jubentur: nec tale quid extitisse sat idoneis rationibus videtur demonstrari posse. Multo minus extat ex peculiari DEI revelatione profecta doctrina de natura & constitutione civitatis in genere, de partibus summi imperii, de regulis imperii administrandi tam circa cives, quam circa externos observandis. Talia enim ex professo tractare, extra scopum est divinæ literarum. Nihilominus passim in Scripturis dicitur, Reges a DEO esse, qui per sapientiam divinam regnent, ac ministerium divinum in hisce terris exercent; quibus ut cives Christiani pareant, pro iisdem preces ad DEUM fundant, quæ ipsis ex ratione sui muneris debentur, exsolvant, inter officia Christiani hominis insertum legitur. Neque ob defectum aut ignorantiam expressi præcepti circa constituendas civitates statim dicendum est; DEUM tantum ex post facto imperium civile adprobasse. Sed etiam antecedenter DEUS civitatum Autor dicendus est, quatenus saltem ex tacito dictamine rectæ rationis voluntatem Divini Numinis homines collegerunt. Cum enim in genere humano, tanta malitiâ infecto, post ejus multi-
plica-

no
m
m
m
m

o
o
o

plicationem, pax, tranquillitas & incolumitas obtineri non posset, nec ullus fere exercitio legis naturalis relinqueretur locus, nisi societates civiles instituerentur; liquidissime infertur, quod qui DEUS voluit, ut homines hanc vitam pacifice & honeste inter sese degerent, idem quoque voluerit, ut necessaria pro conditione temporum ad eum finem media adhiberent.

§. 9. Quemadmodum tamen DEUS plurima solus non agit, sed ex bonitatis suae abundantia & benignissimo in creaturas suas affectu, has in agendo saepe sibi subordinat, variasque agendi vires iis impertit: ita suas agendi partes in Republica erigenda & homines impositas sibi habent, ut ejusdem causa secunda & particularis haberi merito possint, quippe quam consensu suo quasi condere, eandemque voluntate & arbitrio suo intrare conspiciuntur.

§. 10. Neque huic asserto multum obstare potest, si quis Majestatis causam efficientem solum DEUM, non homines esse, cum Celeberrimis quibusdam Viris profiteatur, (qua ex hypothese etiam Job. Frid. Hornius in Polit. sua Architectonica lib. 1. cap. 4. aliam civitatis, aliam Reipublicae causam esse docet) praeterquam enim quod jam dicta Clarissimorum Virorum de Majestatis Causa Efficiente hypothesis, per quam a solo DEO tanquam causa pendere statuitur, nondum adeo ad liquidum sit perducta, quin pari specie alii Celeberrimi Viri, homines subordinatam ad instrumentalem majestatis causam esse, defendere possint; si maxime Majestatis civilis causam solum DEUM agnoscendum esse concesserimus, hoc tamen non obstante, ipsius civitatis causa (secunda saltem & particularis) homo non minus haberi posset, quam alias etiam Parentem filii a se generati causam dicere non verentur, qui rationalem filii animam sive mentem a DEO solo produci, neutiquam vero a Parente generari, supponunt.

§. 11. Jam vero cum homines nihil efficere sive producere extra se soleant, nisi stimulo quodam intus vel extra impulsu; ita, quanam causa homines ut civitates constituerent eademque frequentarent, impulerit, inter Politicos saepe quaesitum, varietate (ut ex superiore cap. jam constat) decisum fuit. Id quod tamen obscurum amplius esse vix sentient, qui plurima mala, pericula & incommoda secum expendere ac trutinare volent, quae homines in corrupto hoc statu & post multiplicatum adeo genus humanum, extra civilem societatem positos premunt

Civitatis
causa se-
cunda, ho-
mo.

Objectio

solvitur

Causa im-
pulsiva

I. Malitia
humana.



justoque metu suspensos tenent. Qualia, si quis alius, egregie ac
 ita nobis depinxit Celeb. *Pufendorfius* ut graphice magis haud po-
 tuisset. Evolvatur ejusdem *lib. 1. de Off. H. & C. cap. 3. §. 4. 5. & 6.* ubi
 „ seqq. occurrunt: Isthoc tam utile invicem animal, non paucis
 „ laborat vitiis, & non minore nocendi facultate praeditum est;
 „ quæ conjunctionem cum ipso reddunt satis ancipitem, magnam-
 „ que requirunt cautionem, ne pro bono malum quis ab illo for-
 „ tiatur. Jam primum major fere ad nocendum proclivitas in
 „ homine, quam in quovis brutorum deprehenditur. Nam bru-
 „ ta fere cibi desiderio & Veneris efferantur, quorum utrique ta-
 „ men facili negotio ipsa satisfacere possunt. Et eo desiderio so-
 „ pito non temere in iras, aut ad lædendum alios concitantur,
 „ nisi quis irritaverit. Ast homo animal est nullo non tempore
 „ in libidinem paratum, cujus stimulis longe frequentius vel-
 „ licatur, quam conservandæ speciei necessarium videbatur.
 „ Eiusdem quoque venter non satiari duntaxat, sed & titillari vult;
 „ & sæpe plura adpetit quam natura digerere valet. Vestibus ne
 „ indigerent bruta, natura prospexit: ast homo non ad necessita-
 „ tatem tantum, sed & ad ostentationem vestiri gaudet. Multi
 „ præterea affectus atque cupidines brutis ignoti, in mortalium
 „ genere deprehenduntur: superflua habendi libido, avaritia, glo-
 „ riæ & alios eminendi cupiditas, invidia, æmulatio, ingeniorumq;
 „ contentio. Indicio est, quod pleraq; bella, quibus genus mor-
 „ talium colliditur, ob causas gerantur brutis ignotas. Atque ista
 „ omnia simulare homines possunt & solent, ut sibi mutuo nocere
 „ velint. Accedit in multis eximia quædam petulantia & aliis in-
 „ sultandi libido; quibus cæteri, etiam modesto ingenio præditi,
 „ studio se ac suam libertatem conservandi ac tuendi, non possunt
 „ non offendi, ac ad resistendum accingi. Quandoq; etiam homi-
 „ nes ad mutuas læsiones incitat inopia, & quod præsens rerum co-
 „ pia cupiditatibus aut indigentia eorum non sufficiat. Sed &
 „ maxima vis inest hominibus ad noxas mutuo inferendas. Nam
 „ etsi neque dentibus, neque unguibus aut cornibus sint formida-
 „ biles, ut multa brutorum: tamen habilitas manus in efficacissi-
 „ mum nocendi instrumentum evalescere potest; & solertia inge-
 „ nii astu & per insidias grassandi facultatem dat, quâ aperta vi
 „ pertingere non licet. Sic ut facillimum sit, hominem homini
 „ gravissimum malorum naturalium, nempe mortem, inferre. De-
 „ nique

nique & in genere humano consideranda est insignis illa inge-
 niorum varietas, qualis in singulis brutorum speciebus non cer-
 nitur; quippe quæ consimiles fere inclinationes habent, pari-
 affectu & adpetitu ducuntur. Ast inter homines quot capita
 tot sensus, & suum cuique pulchrum. Nec simplici aut uni-
 formi cupidine omnes agitantur, sed multiplici & varie inter se
 mixto. Imo unus & idem homo sæpe sibi dissimilis cernitur, &
 quod uno tempore concupivit, ab eodem alio tempore valde ab-
 horret. Nec minor in studiis, institutis, & ad exserendum ani-
 mi vigorem inclinationibus varietas, quæ jam in infinitis fere
 vitæ generibus conspicitur. „ Qui deinceps quoque *lib. 2. cap. 5.*
§. 6. in compendio quasi eadem sic eloquitur: *Nullum homine*
animal ferocius, aut indomitum magis, & quod in plura vitia, pa-
cem societatis perturbare apta, sit proclive. Præter desideria
 enim cibi Venerisque, quibus bruta quoque solent committi,
 multis homo agitur vitiis, quæ bruta ignorant; uti est super-
 fluarum rerum insatiabilis cupido, & savissimum malorum am-
 bitio: vivax item nimis injuriarum memoria, & vindictæ ardor
 longo post tempore adhuc gliscens: nec non infinita dissimilitu-
 do inclinationum & adpetituum, & cuique pro studio suo ex-
 tollendo pervicacia. Accedit, quod eo furore in proprium ge-
 nus savire gaudeat homo, ut maxima pars malorum, quibus
 humana conditio vivit obnoxia, ab ipso homine proficiscatur. Et
 quam parum lex naturalis, quæque transgressoribus ejus metuenda
 esset vindicta divina, malitiæ huic reprimendæ faciat, eod. *cap. 5.*
§. 8. & 9. sic illustrat: *Quanquam lex naturalis præcipiat, ut ab*
omnibus injuriis inferendis homines sese abstineant: tamen ejus
legis reverentia id præstare non potest hominibus, ut in liberta-
te naturali satis tuto degere queant. Etsi enim forte dentur ho-
 mines animo ita modesto, ut ne impunitate quidem data alios
 violare velint; alii quoque metu proventuri inde mali cupidita-
 tes suas utcunque compescant: magna tamen ex adverfo eorum
 turba datur, quibus omne jus vile est, quoties spes lucri arriserit,
 & fiducia propriarum virium, aut solertiæ, qua repellere aut elu-
 dere læsos sese posse sperent. Quos uti nemo non cavere niti-
 tur, qui salutem suam amat: ita cautio illa commodius, quam
 ope civitatum, obtineri nequit. Nam utut aliqui mutuo fidem
 dederint de auxiliis invicem ferendis; ni tamen adsit aliquid,
 „ quo

quo & judicia eorum uniantur, & voluntates firmiter adstrin-
 gantur ad explendam fidem, frustra ab iisdem certum au-
 xilium sibi quis promittit. Denique licet lex naturalis ho-
 minibus satis insinuet, non impune laturos, qui alios inju-
 ria affecerint: tamen neque *metus divini Numinis*, neque *con-*
scientia morsus sat validam deprehenduntur vim habere quorum-
 vis hominum malitiæ coërcendæ. Nam apud multos educatio-
 nis & consuetudinis vitio vis rationis velut obsurdescit. Unde
 fit, ut illi præsentibus tantum immineant, futurorum parum
 curiosi, ac nonnisi iis moveantur, quæ in sensus incurrunt.
 Cum autem vindicta divina lento fere pede soleat incedere, in-
 de pravis mortalium præbetur occasio, ad alias causas impio-
 rum mala referendi; præsertim cum sæpe videant, improbis af-
 fatim adesse, queis vulgus felicitatem metitur. Accedit, quod
 stimuli conscientia, qui facinus antecedunt, non ita validi vi-
 deantur, quam qui idem subsequuntur, quando id, quod factum
 est, infectum amplius fieri nequit. Perquam egregia sunt et-
 iam quæ ingeniosissimus Autor *Philippus Mornæus de Veritate Re-*
lig. Christianæ cap. 16. eandem hominum malitiam vivis quasi co-
 loribus delineans, lectori suo propinat.

§. 12. Quæ omnia & singula cum quotidiana experientia satis
 atque ita confirmet, ut propria conscientia testimonio de pleris-
 que intus & apud nos convincamur; ecquis non credat, tot malo-
 rum consideratione, homines impelli ad ejusmodi præsidium qua-
 rendum, quod adversus illa nos armet, muniat, protegat, adeoq;
 efficiat, ut, quibus vel natura nos dotavit vel propria industria
 locupletavit bonis, secure uti fruive possint? Naturalis namque
 & insitus ille nostri amor, non potest non averfari tot mala & pe-
 ricula, nec ita feriari nos patitur, ut de solidiori munimento nobis
 non prospiciamus, quo securioribus adversus illa nobis esse liceat,
 & cum adversus singula (iterum de suo hoc nobis largiatur *Pufen-*
dorfius) quibus mortalium genus infestatur mala aliquid reme-
 dii ejusdem machinata sit solertia: contra vim morborum ar-
 tes medicorum inventæ. Injuriis aëris tecta, vestes, ignis resi-
 stunt. Famem exulta per industriam hominum terra propul-
 sat. Ferociam bestiarum arma, aut insidia coërcent. Contra
 illa etiam mala quæ pravitas humanae indolis sibi invicem gau-
 det intentare, efficacissima ex homine ipso medicina petenda fuit.
Lib. VII. de Jure N. & G. cap. 1. §. 7.

§. 13. Tot

§. 13. Tot enim & tantis incommodis ac malis avertendis nihil aptius, nihil efficacius, nihil ad indolem hominum attemperatius quam civilis societas, utpote in qua dictis malis catervatim alias nos invasuris viam quasi occludimus, pravisq; cupidinibus extremæq; malitiæ reprimendæ præsentaneum remedium opponimus.

§. 14. Ipsa quoque experientia mortales hoc docuit, qui cum aliquo tempore, eo scilicet, quo nondum ita excrevit genus humanum, extra hanc societatem vixissent, postea tamen societatem hanc ingrediendam sibi ita duxerunt, ut hodie nullus pæne sit locus, nullus terrarum angulus, ubi societas talis, etsi perfectior alibi, alibi imperfectior, instituta & erecta non fuerit.

§. 15. Ut ut verò nequaquam sit negandum, libertatis naturalis statum sua habere commoda ac bona plurima, ipsamq; libertatem, qua status ille gaudet, inæstimabilem pæne videri posse; cum e diverso status civilis, suis quoque urgeatur incommodis & oneribus: (utpote dum, ut rursus laudati *Pufendorffii* verbis utar è *lib. 2. de Offic. c. 5. §. 4.* Qui civis fit, libertatis naturalis jacturam facit, ac imperio se subjicit, quod Jus vitæ & necis complectitur; & cuius jussu plurima facienda, abs quibus quis alias abhorrebat; & omittenda, quæ vehementer adpetebat. Pleræque etiam actiones ad bonum societatis referendæ, quod sæpe a bono singulorum videtur discrepare: cum tamen ad hoc per inclinationes jam congenitas feratur homo, ut nemini subjectus esse, ut omnia suo agere arbitrio, ut proprio commodo in omnibus velificari velit,) quando tamen, quicquid extra civilem statum possidemus boni vel commodi, propter antea delineatam hominum malitiam facile amittere possumus, nec tanta iis constat securitas, quanta in societate civili: dulcis illa alias libertas cæteraque bona, majori securitatis bono superari videntur, ipsaque adeo mala extra civitatem, non parum excedunt minus illud malum, quod in civitate positos premere potest. Quibus insignem lucem affundunt, quæ laudatus *Pufendorffius* citato *lib. 2. cap. 1. §. 9.* profert. In statu naturali, inquit, quisque propriis tantum viribus protegitur; in civitate omnium. Ibi fructus ab industria sua nemini certus; hic omnibus: ibi imperium affectuum, bellum, metus, paupertas, foeditas, solitudo, barbaries, ignorantia, feritas; hic imperium rationis, pax, securitas, divitiæ, ornatus, societas, elegantia, scientia, benevolentia.

Status libertatis naturalis cum civitate comparatur.

§. 16. Et-



II. Indig-
gentia.

§. 16. Etenim societatem civilem, utut incommodis ac malis suis haud penitus carentem, illud tamen etiam non parum desiderabilem sive commendabilem reddere potest; quod præter securitatem ac tranquillitatem, quam principaliter procurat, plurimis aliis bonis potiri nos faciat, quæ, extra civitatem tam commode obtinere sæpe vix possumus, quam in civitate, ubi communicatio rerum ad vitam ejusque culturam facientium longe major, & cujuslibet industria universis emolumento cedere adeoque indigentia nostræ plenius satisfieri potest. Id quod etiam lubentissime agnoscunt, qui civitatis causam indigentiam, ut supra vidimus, esse ajunt.

Quenam
impulsiva
primaria.

§. 17. Utrum tamen si posteriorem hanc causam (*indigentiam*) cum priori (*metu*) contenderimus, plus posteriori, an priori sit deferendum: seu utrum defectus bonorum externorum aliarumque commoditatum, an mala ab hominibus pravis imminetia plus movere homines ad societatem hanc ineundam soleant, inquisitionem hic etiam à nonnullis fuit. Sed quamvis pro *indigentia* calculum ferre quibusdam placuerit, (vid. supra §. 4. cap. 1.) plus tamen rationis inesse apparet illorum sententiæ, qui *metum malorum* supra dictorum, *causam impulsivam primariam* esse contendunt. Quidni enim indigentia humanæ satisfieri per minores societates possit, aut si penitus non possit, per fœderationes & pacta queat, si cum primis non aliam felicitatem supponamus, quam quæ vitæ secundum naturalia desideria transigendæ congruat, cum tamen extra civitatem, post multiplicatum adeo genus humanum, degentibus, tranquillitas & securitas adeo obtingere non possit. Iterum hic audire juverit Celeberr. Pufendorfium lib. 7. de „ J. N. & G. c. 1. §. 6. sic differentem: Illud quidem certum est, vix „ miserius fore animal homine, si singuli solis sibi relinquuntur, ci- „ tra ullam ab aliis hominibus accedentem opem. Sed nec illud „ negari potest, ad delicias usque vitam humanam excoli coeptam, „ postquam in civitates fuit concessum. Nihilominus indubium „ nobis videtur, *indigentiam* haud quidquam solam, aut precipuam cau- „ sam civitatum constituendarum fuisse; utut in eam sententiam quo- „ que inclinet Plato de Rep. l. 2. Nam & jam antea quando adhuc „ in familias segreges dispersi agebant homines, satis consultum „ erat necessitatibus vitæ, inventa agricultura, & pecuaria, vini „ cultura, vestiaria, aliisque artibus vid. Gen. 13, 2. 24, 35. Et sane „ pona-

ponamus patrem familias, cui affatim agri, pecorisque, ac servo-
 rum; quid huic deesse possit ad tolerandam hancce vitam? aut si
 quid desit, per commercia id supplere poterit. Sicut multæ ho-
 die civitates dantur, quæ merces, necessitati aut voluptati infer-
 vientes, ab exteris petunt; nec tamen ideo cum illis in unam
 civitatem coalescere necessum habent. Vice versa non pauci
 dantur populi, per multa jam secula vitam civilem degentes,
 haud quidquam splendidiorum, aut copiosiorum, quam prisca
 quondam patres familias victitabant. Sic ut delicia illæ, quibus
 jam multarum vita gentium scatet, non tam civitatibus, quàm
 magnis urbibus originem debeat. Urbanum quippe vulgus,
 cui ex agro & pecore nullus proventus, ad varias artes excolen-
 das sese convertit, parando victu. Accessit inter urbanos æmu-
 latio cultus; inde in luxuriam itum, cui multis in locis non pau-
 ciora artificia, quam necessitati inserviunt. Quibus tamen ca-
 rere vita civilis facile poterat. Perquam ingeniose id etiam de-
 monstravit Celeberrimus CHR. THOMASIVS P. 3. Jurisprud. Div.
 c. 6. §. 15. seqq. inquit: Quid multis est opus? vel ex finibus ci-
 vitatis, sententia nostra firmari potest. Ostendimus enim cau-
 sam impulsivam & finalem actionis alicujus sibi invicem esse op-
 positas, unde, quicquid reluctentur Peripatetici, necesse est, me-
 tum esse causam primariam impulsivam ad civitatem ineundam,
 quia huic correspondet finis primarius, tranquillitas communis,
 & indigentiam causam secundariam, quia opponitur huic omnium
 rerum sufficientia ut finis secundarius. Et quod metum attinet,
 de quo potissimum his est, si statuam dissentientes citra eundem
 etiam civitatem concipi posse (quod necesse est, si metus foret
 tantum causa secundaria) inde sequeretur, ut aut frustra quis ap-
 peteret civitatem, qui jam in tranquillitate est constitutus, aut
 appeteretur civitas sine tranquillitate. At utrumque hoc vel
 ex ipsorum doctrina absurdum est: quippe non solum, cessante
 sine cessat actio, sed & civitas sine fine primario, est non ens, quip-
 pe cum fateantur, societatum differentias dependere a fine.

§. 18. Nemo jam mirabitur, credo, si ex hæcenus dictis hoc
 confectarium eliciamus, *nullas in statu integritatis Respublicas*
humanas futuras fuisse, neque ullius auctoritatem tam apud nos
 valere patiamur ut oppositum nobis porro persuadeat. Cessassent
 enim utiq; in perfectiore illo statu (quod vel nomen ejus indicat)

Respubli-
 cæ Para-
 distiæ
 nullæ.

singula mala tam naturalia quam moralia , quæ corruptos hodie mortales in statu extra civitatem proh dolor ! comitantur, eosdemque in societatem civilem , (per quam eadem quam commodissime amoliri se posse sibi persuadent , quamque nisi præsentissimum illorum remedium fore crederent , tanta cum libertatis suæ imminutione nunquam intrare cuperent) compellunt: prorsus ut de ejusmodi societate instituenda, cujus finis esset malorum talium depulsio , Paradisi incolæ cogitare non potuerint. Id quod ii, qui claros de humano Imperio, de Magistratu ac ipsa consequenter Republica conceptus sibi formare, neque confuse nimis perfectiorem illum hominum statum repræsentare sibi volent, nullo negotio intelligent.

§. 19. Quis enim in sanctiore illo statu, ubi (Venerandorum Theologorum nostrorum placitis ibi ferentibus) intellectus noster profundiore rerum tam naturalium quam spiritualium notitia radiare, voluntas ardentissimo in DEI proximique amore flagrare, singulari sanctitate & justitia pollere, mirifica affectuum cum ratione harmonia animum serenare, eximia dotes corpus nostrum ornare , terra cœlestem maledictionem nondum experta dulcissima munera largissime in nos effundere debuissent; quis ibi inquam præter divinam legem & majestatem *humano* aliquo *imperio legibusq;* opus fuisse credat, quæ novæ cuidam societati, præter humanam maritalem ac paternam, originem daret? & quodnam quæso magistratus officium in statu illo futurum erat? num ut indigentibus prospiceret? an ut inferiores contra potentiores tueretur, illatas injurias ulcisceretur, erepta restitueret, præmiis segniores excitaret, suppliciis refractarios coërceret, improborum audaciam infringeret, turbatamque quietem & tranquillitatem restitueret? & quænam quæso tributa, quæ vectigalia subditis imposuisset? quas monetas procudisset, quæ bella indixisset, direxisset, composuisset? quæ tribunalia erexisset, aut quæ alia Majestatis jura exercuisset? Ita hæc sunt comparata, ut qui ad claros & distinctos conceptus talia revocare ac civilis societatis incommoda & onera exactius expendere, neque plus justo extenuare, integritatis e diverso statum juxta perfectiones, quas divina imago in Paradisi habitatoribus clarissime tum effulsura importat, æstimare satis velit, indignam feliciore illo statu Rempublicam humanam pronunciare omnino debeat.

§. 20. Quo

§. 20. Quò ipso tamen non omne omnino Imperium, non omnes omnino leges a statu illo removemus, sed *humanum* duntaxat imperium, *humanas* duntaxat leges: divinum enim imperium legesque, quis excludere hinc ausit? At, in divinum tamen imperium, Divinique legislatoris majestatem injurios nos futuros putaremus, si humanas leges, divinis, in perfectiore illo statu succenturiare, talemque quasi laciniam illi purpuræ assuere cuperemus. Quod enim divinæ majestatis legisque autoritas, eam hodie tranquillitatem ac beatitatem in humano genere procurare & conservare non potest, quid nisi ipsa hominis malitia impedit, qui metu hominum quam pudore DEI intra recti lineam contineri mavult, utque nonnisi præmiis sensibilibus ad bene agendum invitari, ita nonnisi sensibili pœna a prave factis, retrahi se finit? Et hinc, si præter humanam societatem alia quædam, maritali ac paterna major, in statu illo futura crederetur, ideo tamen, quod sine imperio legibusque humanis concipiendâ ea foret, civilis societatis sive Reip. nomen ferre non posset, sed alterius plane generis societas habenda esset.

Cautela

§. 21. Quamvis item (quod adversæ sententiæ Fautores valde urgent) omnem omnino indigentiam ex integritatis statu proscribere nequaquam ausimus, quin potius ἀναμφισβήτητον πενήθειον ejusdem fuisse putemus, quod, Sacro Sancta Trinitate judice, Adamus sociâ indignis sit visus, ejusmodi tamen indigentiam, cui explendæ imperium humanum destinatur, quæque corruptionem quandam moralem supponat, aut in pœnam nobis advenit, in statu integritatis agnoscere velle, quid aliud foret, quam ex recto corruptum facere, quid nisi medicinam non ægrotantibus applicare, aut corpori nec vulnerato nec male affecto emplastrum quærere?

Obiectio

solvitur

§. 22. Recte itaque & ex vero Civitates medicinam quandam humana imperfectionis appellat Pufendorf. Dissert. de Statu hominum naturali §. 2. hoc insimul addens: Id quod inter alia etiam Sacra Script. innuit, dum potestatem summorum imperantium vocabulo gladii notat; cui gladio in perfecto & primevo statu locus non est. Qui & in Spicilegio Juris Naturæ cap. 2. §. 9. p. 369. Eridos Scandicæ de Paradisiaca civitate quærit, quæ ratio ad eam instituendam homines moverit, & cur non imperio paterno, inde auctoritate contenti, libertatem naturalem, quâ nulla tunc mala libidine, secure gaudere

C 3

»PO»

„ poterant, retinuerint : quæ vis tunc imperii, quæ potestas ma-
 „ gistratus, quæ indoles legum civilium, quæ sanctio : an majo-
 „ re studio homines recta sectaturi fuerint ob jussum magistratus.
 „ Tum quæ forma civitatum ; quis imperium habendi modus ;
 „ num magistratus tunc à sacerdotio distinctus : num istius magi-
 „ stratus potestas amplior, quam paterna fuerit : & ejus generis
 „ plura. “ Cui pulchre adstipulantem cernimus Celeberr. *Job. Wan-*
 „ *dalinum de Jure Regio lib. 2. cap. 4. p. 161.* cum scribit : Falluntur
 „ qui DEO hujus potestatis originem adscribunt, *ut natura humane*
 „ *in se spectata auctori* ; cum potius eam instituisse dicendus sit, *ut*
 „ *natura corrupta Medicus*, cujus indigentia hoc pacto consulere
 „ voluit. Neque enim rationi consentaneum est, in statu naturæ
 „ integro, si ea talis permansisset, futurum fuisse tale paucorum
 „ imperium, plurimum vero subjectionem & servitutem, qualis jam
 „ est politia facies ; non magis quam in futura vita tale regimen
 „ necessum erit, ubi nihil ejusmodi reperietur *1. Cor. XV, 24.* Quod
 „ & ipse *Augustinus* docuit *de Civit. DEI lib. XIX. c. 15*, nec non *Tho-*
 „ *mas Aquinas 1^a 1^æ quest. IX. art. 3.* Et si vel contrarium conceda-
 „ tur, tamen non inde sequetur, quod illi volunt, potestatem eam
 „ civilem ex natura per se considerata necessario resultare. Nam
 „ cum necessitas illa oriatur *ex natura communitatis post lapsum regi-*
 „ *ſ regere nescia, ac equo bonoq; refragantis*, quod ipsi adversarii
 „ *Svarezius & Tannerus* largiuntur : utique in statu illo naturæ in-
 „ tegro, ubi nullus talis defectus, sed perfecta affectuum humano-
 „ rum harmonia fuit, nulla ejusmodi Civilis gubernatio locum ha-
 „ buisset. Singuli officium suum, unus erga alterum, amore &
 „ fide incorrupta fecissent, & quidem ultro prompteque, ut vi
 „ superiore cogente non opus fuisset, &c. Insignis quoque hanc
 „ in rem locus extat apud *Alex. Irvinum in Diascepsi de Jure Regni*, ab
 „ initio statim præfationis. Tantoque minus jam Celeberrimorum
 „ alia Politicorum ac Polyhistorum *Bæcleri & Bosii* reformidamus au-
 „ toritatem, quorum ille *in Comment. ad Grotii lib. 1. c. 3. p. 200.* non
 „ posse se probare eos, scribit, qui non nisi remedium corruptæ naturæ in
 „ imperio & civili ordine agnoscunt ; Hic, *in Introd. ad Notit. Rerump.*
 „ *c. 10. §. 17.* Falsum esse, dicit, *Imperia tantum esse instituta in reme-*
 „ *dium corruptæ naturæ. Falsum item, imperia tantummodo necessitatis*
 „ *& bene vivendi causa primitus constituta esse.*

§. 23. Nec

§. 23. Nec poenitebit eum operæ, qui, quæ contra imperium hoc Paradisiacum, pro libertate naturali, in pererudita *Dissert. de libertate primæva* Medicus Φιλοσοφώτατος Dn. D. Aug. Quir. Rivinus strinxit argumenta, quinque numero, inspicere & perpendere voluerit, propter chartæ angustiam nequaquam huc transcribenda.

§. 24. Videant nunc quæso & libere secum expendant, qui Paradisiacis Rebus publ. adeo favent, utrum æque validis telis libertatem primævam oppugnare, parique rationum robore primævi status Respublicas firmare possint, & an semel adamatam hypothesein urgente potius ratione quadam victi, quam vel autoritatis pondere pressi, aut obscuris de Republica, Imperio, Integritatis statu conceptibus imbuti, aut nescio quo metu, ne abjectius aut parum honorifice de Majestate Imperioque civili sensisse videantur, constricti, retineant, quasque ne in corrupto quidem hoc statu ab initio, & Patriarcharum ævo, necessarias fuisse experientia docuit Respublicas in statu longe perfectiori frustra admittere omnino velint, fictitiis deinde distinctionibus hypothesei suæ consulturi, cui veritatis amore renunciandum utiq; fuerat.

§. 25. Num enim in civilis Imperii opprobrium vergere putabimus si ex peccato & malitia originem ejus quadantenus arcesamus, sive ut clarius loquamur, si corruptionem aliquam moralem supponere civitatem statuamus? non magis certe quam si poenitentiam ad antecedens aliquod delictum retulerimus, aut si ad sanctissimum Christi meritum & satisfactionem peccata mortalium tanquam antambulones quosdam requisiverimus. Nunquam futura erat poenitentia nisi peccatum præcessisset: nunquam redemptio generis humani per Christum Salvatorem nostrum, nisi lapsum illud prius fuisset, & tamen poenitentia inter laudanda referri potest, & redemptio humani generis per Christum, res omni prædicatione dignissima, nec unquam satis prædicanda: atque ad DEUM Autorem utramque referri oportet, ad quem tamen prævia quæ ab illis supponitur corruptio, tanquam causam efficientem referri nullo modo potest.

§. 26. Ex quo porro nunc istud fluit: dum ad DEUM Auto-DEVS quærem refertur imperium civile ipsaque civitas quanta quanta est ab ipso instituta aut præcepta dici potest, absolute & simpliciter, seu eo sensu, quo societatis humanæ autor DEUS esse aut amorem sui & pro-

Objectio
solvitur.

Compendium
de
causis
causis

proximi præcepisse dicitur, nequaquam exaudiendum esse, sed conditionate potius, & facta suppositione alicujus, quod DEVS non evenisse mallet. Ipsa enim malitia mortalium displicet DEO quam maxime, nec ab eo intendi unquam potuit. Postquam tamen ea contra divinam voluntatem & Diaboli potius invidia ac impulsu, mortalium genus corrumpere cœpit; ne latius latiusque serperet ac grassaretur hominum malitia, ipsamque tandem societatem humanam everteret, saluberrimo civilis societatis remedio eandem coërcere, medicique adeo munere quasi fungi sanctissimum ac sapientissimum Numen voluit. Ut propterea ad DEUM non tam qua natura integra conditorem, quam qua corrupta Medicum sive Restauratorem civilis societas sit referenda, sive etiam non tam ad natura (intelligendo hoc nomine DEUM) institutum primævum quam secundarium, aut (si ita quoque loqui malis) non tam ad Jus Natura primævum quam secundarium referenda videatur.

§. 27. Quin & hoc insuper, prono, quod ajunt, alveo, ex modo dictis sequitur: etsi de statu integritatis exterminentur Respublicæ, nec nisi in statu corrupto locus iis relinquatur, moraliter pravæ tamen aut societates corruptas per se non esse dicendas, sed pravitatem & corruptionem moralem duntaxat supponere, cui in remedium serviant, eamque si tollere penitus non possint saltem minuant: si quid tamen vitii in se habeant (quo sensu Respublicæ pravæ & corruptæ rectis opponi solent) ex accidenti illis id advenire.

Compendium dictionum.

§. 28. Nunc ut ex hoc tanquam diverticulo in viam redeamus, & quæ prolixius huc usque proposuimus in brevem summam colligamus, civitatis causam *efficientem primam* salutamus DEVM, (id quod probavimus §. 1. usque ad 8.) *efficientem secundam* illique subordinatam agnoscimus *homines*, (per §. 9. 10.) *impulsivam externam primariam* statuimus *mala homini ab homine imminentia*, illorumque reprimendorum in homine infirmitatem, (vid. §. 11--15.) *secundariam*, defectum sive absentiam bonorum & commodorum ad vivendum & bene vivendum requisitorum, vid. §. 16. (aut si quis compendiosius loqui velit, *indigentiam* tam defensionis, quam aliorum bonorum) *internam impulsivam primariam* metum sive aversionem malorum dictorum, (§. 17.) *secundariam* desiderium sive amorem dictorum bonorum (aut si rursus concisius efferre

ferre id cuperes, *Φιλανθία* sive amorem nostri, unde tam metus ille, quam desiderium proveniunt. §. 12.)

§. 29. Eam nunc quam de civitatum causa efficiente ac impulsiva ad Illustris *Pufendorffii* (uti speramus) mentem expressimus sententiam, aliis supra cap. 1. enumeratis sententiis tam inimicam & infensam esse nequaquam arbitramur, quin cum singulis pæne illarum conciliari posse videatur. Solam enim *Epicuream* excipimus, tanquam cum qua nihil ipsi intercedere potest commercii; quandoquidem a veritate nimis remota apparet, neque ad coecam fortunam tam salutare ac nobile DEI, rationisque institutum referri, citra summam stultitiam & impietatem potest.

§. 30. Quod vero *Platonis* sententiam attinet, *indigentiam* causam impulsivam civitatum cum eodem profiteri non erubescimus, modo (quod ipsum fecisse nondum adeo constat) nec naturam nec metum ex causis impellentibus prorsus eliminaverit, aut indigentiam strictius sumtam, quatenus metui opponitur, (quod ipsum fecisse itidem adhuc sub dubio) primariam causam non statuerit. (Id quod admitti non posse supra §. 17. probatum.) Quod si enim e diverso indigentiam late sumtam, nec metui oppositam intellexisset, nulla adeo ab eo dissentienti causa nobis foret.

§. 31. Nec *metum* inter principales civitatis causas cum *Hobbesio* ponere nos pudebit, naturam tamen non simul exclusam, quam nec *Hobbesius*, etsi voluit, excludere satis potuit; eò quod naturam corruptam in *Philosophia* sua quam maxime ipse supposuerit.

§. 32. Nec cum *Aristotelicis* *Naturam* dignari nomine causæ erubescimus, modo ad ejusmodi naturæ instinctum agnoscendum adstringere nos nolint, qui ipsam *Reipubl.* naturam vel obscuret vel evertat.

§. 33. Tantoque minus cum reliquis pugnatura videbitur nostra sententia, qui plures causas citant (vid. cap. 1. §. 6.) modo metum inter causas minus principales locare nolint (id quod invita veritate fieri supra §. 17. probavimus) Ipsam enim naturam juxta cum metu inter principales causas reponere non veremur tali sensu quem plenius nunc exposituri sumus (§. 12. & 45. infra.)

§. 34. Quandoquidem enim vox *natura* & *naturalis* variis subjecta est significatibus, qui inter se confusi nec satis evoluti ambiguum

D

biguam

Concilio

cum Sententia Platonica

cum Hobbesiana

cum Aristotelica

cum aliis

Civitas non est naturalis.

biguam nobis & obscuram reddunt Aristotelicorum de Civitatis Origine sententiam, distinctius paulo eosdem recensere, & in quantum cum Aristotelicis conspirare vel dissentire ab iis nos oporteat, ostendere juverit.

Sensu (1) §. 35. Itaque (1) naturalis dici civitas non potest, si per naturale intelligamus id, quod pertinet ad naturam rei, ita, ut abesse ab ea non possit, nisi illo sublato, res ipsa tollatur (quomodo naturalis pisci est aqua, homini aër aut vita ipsa) hoc enim sensu naturalis quidem dicenda videtur societas hominis cum DEO; quia hac sublata, homo non amplius erit homo: non vero simili sensu naturalis societas dici potest civitas, ipsa experientia circa eos reclamante, qui extra Rempubl. primitus vixerunt.

(2) §. 36. Neque (2) naturalis appellari potest, si naturale dicatur id, quod voluntario opponitur nostrumque, consensum excludit, (quomodo naturales dicuntur quidam morbi, quorum semina ex utero materno efferimus, quomodo etiam naturale domicilium nobis est terrarum hic orbis) hoc enim sensu naturalis quidem dicenda esset societas humana, utpote in qua non tam per nostrum consensum & arbitrium, quam naturæ nutu & placito constituimur; eodemque sensu naturalis dici posset societas paterna filio, civilem tamen societatem, naturalem eo sensu dicere haud licet, quippe quæ consensum nostrum nec antevertit, nec excludit, sed necessario potius supponit, ut supra §. 9. dictum, vid. de hoc significato Celeberr. Jac. Thomasi Philof. Pract. Tab. 33. lin. 18.

(3) §. 37. Tertio neque naturalis haberi potest, quatenus naturale opponitur morali vel civili aut etiam artificiali, quomodo e. gr. arbor, brutum, lapis, entia dicuntur naturalia, nequaquam vero culter, gladius vel horologium, (quippe quæ sunt entia artificialia) aut vitium sive virtus, (quæ dicuntur entia moralia) aut lex, iudicium, magistratus, (quæ entia civilia nominari merentur) in quo postremo genere cum etiam sit Respublica, recte etiam naturalis dicto sensu esse negatur.

(4) §. 38. Quarto naturalis item vocari non meretur, quando naturale interdum dicimus id, ad quod natura apti sumus & idonei citra omnem antegressam disciplinam & culturam, (quomodo naturale est avi volare, arbori crescere, floresque & fructus proferre) quia non citra omnem disciplinam & culturam antegressam apti & idonei sumus

sumus obire munia & officia quæ societatis hujus membris incumbunt, vid. de hoc significato *Pufendorf. lib. 7. de J. N. & G. c. 5. §. 3.*

§. 39. Sub quibus etiam significatibus an societatem hanc naturalem dicere possint vel velint Peripatetici, adeo non videtur nobis verisimile, ut potius una nobiscum naturalem eam hoc sensu negare illos velle, penitissime nobis persuadeamus. Sed quoniam tamen toties & tam constanter voce *naturalis* hic utuntur, eodem loquendi modo cum illis uti nequaquam dubitabimus, modo talem locutionis ejus sensum obtrudere nobis nolint, quem salva veritate admittere nobis non liceat.

Consentiunt Aristotelici.

§. 40. Cur enim primo naturalem hanc societatem appellare renuamus; si *naturale* dicamus, quod *natura naturanti non solum non repugnat, sed & ei placet, ab illa approbatur imo & instituitur & suo modo jubetur, verbo, intenditur?* Quandoquidem enim naturæ nomine non alium nisi DEUM intelligere fas est, a quo societatem hanc non approbari solum, sed & institui & præcipi suo modo superius ostendimus, quid super est nisi ut naturalem quoque, id est, à natura approbatam, intentam, præceptam statuamus. Quo collineant etiam illi, qui Juri Naturali (quod est ipsa voluntas DEI per rationis dictamen in nobis sese exferens) vel convenire, vel ab isto præceptam statuunt. Aut si quis de divino sive Juris Naturæ præcepto dubitari posse putet, satis tamen esse posset, à natura eam non solum non improbari aut prohiberi, sed approbari potius aut suaderi, quod neminem facile negaturum putamus.

Est naturalis significatu (1)

§. 41. Secundo naturalem hanc societatem & hoc sensu vocabimus, si *naturale* opponatur *fortuito*. Cum enim civitates non solum ad DEUM tanquam causam efficientem primam, sed & ad homines non sine ratione hic agentes, nec sine certo consilio eas instituentes, ingredientes & percolentes referri oportere antea dixerimus, fortuitas eas vel respectu DEI, (absque cujus præscitu nihil fieri potest) vel respectu hominum (consulto Republicas formantium) dicere absque summa absurditate & contradictione non licebit. Id quod contra Epicureos notandum fuerit.

(2)

§. 42. Tertio: hoc magis etiam naturalem societatem nuncupare Rempublicam nos oportebit, si *naturale* opponatur *violento*

(3)

stricte sumto, ut naturale scilicet dicatur, *quicquid non est stricte violentum*, sive *propensione naturæ nostræ penitus adversum*. Quod enim a nostro pendet consensu & electione, violentum dicto modo haberi non potest, ac multo minus, si propensione quadam interna & instinctu intrinseco in id feramur. Quod ex paulo post dicendis plenius constabit. Neque hoc sensu naturalem esse societatem civilem vel ipse negabit *Bodin*us aut alius quisquam; quandoquidem societas quæ in hoc significato non foret naturalis, nihil aliud quam *σθηρόζυλον* dicendum esset. Vis enim illa in qua *Bodin*us societatis hujus causam quærit coactionem plenam sive talem, quæ omnem omnino propensionem tollat, omnemque reluctantiam includat, haud quaquam importat, sed hoc duntaxat efficit, ut consensus ille in civitatem, usquequaque liber ac spontaneus non remaneat, indeque actio mixta quædam exsurgat.

(4) §. 43. Quartò: Insuper naturalem hanc societatem dicendam putamus, si naturale dicatur, *cujus potentia, aptitudo sive habitas insita nobis est ad aliquid, quod natura etiam intendit vel ei non repugnat, suo tempore ut ut non citra culturam ac disciplinam consequendum*; quo sensu (quibus exemplis hunc significatum *Puffendorf*. l. VII. cap. 1. §. 3. illustrat), equus natura aptus est ut gressus superbos glomeret, id quod asino negatum; *Pfittacus* ut garriat, ager ut frumentum, collis ut vitem ferat; ipse homo ut fermocinetur, ut varias artes & scientias addiscat. Adeoque cum societatem hanc naturalem propterea *Aristoteles* ejusque sectatores dicant, quod homo natura animal sit civile, jam dicto sensu, repudiari non potest, quoniam non tantum naturalia dicimus, quæ actu nobis adsunt quamprimum existere incipimus, aut quæ statim & citra plures antegressos actus à nobis præstantur; verum etiam quæ suo tempore, præsentibus iis quibus opus est requisitis, proveniunt. Quo facit, quod *Celeberr. Conringius* §. 46. *Disputationis de Cive & Civit.* ait: ut quid a natura constitutum esse dicatur, non semper requiritur, ut cum ipso genere humano coeperit, alioqui nec ipsa societas herilis à natura esset, multo minus vicus aut familia.

§. 44. Hæc tamen cum *Peripateticis* nondum sufficere videantur, ut à natura vel naturalis esse civitas dicatur; sed insuper *instinctum* aliquem, *impulsam* aut *stimulum naturæ* supponant, eumque

que voce *naturalis* exprimere contendant, neque hunc penitus repudiare audeamus; quin eo potius sensu, quò, naturalem quoque vocari civitatem permittimus, quod *naturalis ad talem societatem nobis insit propensio, quodq; naturali quadam commotione & instinctu sive stimulo acti eam queramus.*

§. 45. Quod si enim natura ipsa instigante mala illa metuemus & abhorremus quæ extra civitates nos manent, nec recta ac naturalis ratio aliud excogitare remedium potest, quo malis tantis occurrere eaque a cervicibus nostris depellere, illamque securitatem ac tranquillitatem quam naturâ omnes amamus consequi possimus; (ne quid de aliorum bonorum affluentia, quæ naturæ etiam nostræ non potest non esse gratissima ac dulcissima) cur tali sensu naturalem civitatem esse, hoc est, efficacissimis naturæ stimulis ad eam nos excitari atque urgeri sive in eandem trahi nos ac rapi non agnoscamus? Cum maxime de hoc instinctu vel id solum convincere valde nos possit, quod in universo terrarum orbe per omnes gentes & nationes ita diffusa sint imperia, ut nullus pæne terrarum angulus genti aut populo cuidam habitationem præbeat, quæ Rempubl. aut illius simulacrum non præ se ferat: non sine certo documento, quam male se res mortalium habituræ essent, citra hoc præsidium si foret. Itaque natura metui non tam opponenda, quam hic, illi subordinatus potius concipiendus fuisset, quando ex naturali inclinatione mala talia averfamur, iisdemque remedium quarimus. vid. §. 11. 12. 14. 16.

§. 46. Hoc jam quoq; admissio, exigua nostram inter & Peripateticorum sententiam restabit differentia, nec satis causæ habituri sunt Aristotelici, cur Recentiorum sententiæ durius obloquantur. Imo nisi amplius quid, voce *naturalis*, hic intenderent Aristotelici, omnis pæne sublatus videretur dissensus, omnis sopita contentio. Sed plus est quod Aristotelici postulare velle videntur, cum ex ipso naturæ gremio, cunabula Rerumpubl. educere nituntur.

§. 47. Scilicet in ipsa voce *instinctus naturalis* nova latet ambiguitas, ut eo nomine vel talis intelligi possit, qui non tantum in præsentia adeoque corrupto naturæ statu homines agit & impellit, sed & in statu hominis perfectiore, quem integritatis vocant, locum habere atque ita utriq; statui communis esse possit; (quem

Differens
tia inter
Aristotelis
nostram-
que sententi-
am.

Instinctus
duplex.



cum Celeberr. Thomasio ex ejus *Jurisprud. Div. Part. 3. c. 1. §. 6.* nec non *cap. 6. §. 12.* *internum* sive *intrinsecum* vocare liceret, quod a DEO homini sit concreatus) vel ejusmodi impulsus, qui ex necessitate & indigentia statum corruptum duntaxat comitante aut subsequente (quem *externum* appellat laudatus Thomasio, quod *indigentia & metus periculorum eum potissimum elicuerit*) provocatur. Quos inter priorem cum primis obtrudere nobis non verentur, qui Aristotelis partes animosius defendunt, metumque vel indigentiam naturæ subordinare interque causas *civitatis* recensere nolunt, vel pari saltem passu ambulare cum natura non sinunt: cum nos è diverso supra adductis rationibus moti, aliorumque Celebratissimorum Virorum vestigiis insistentes, posteriorem potius instinctum sufficere, nec ex priore instinctu derivandas esse civitates putemus. vid. supra §. 18. seq.

§. 48. Constat hinc interim arbitramur, illorum, qui naturalem instinctum tantopere hic extollunt, eumque tanquam unicam aut principem civitatis causam allegant, sententiam, ab altera illa, quæ Republicas in statu integritatis futuras fuisse statuit, quasi suspendi, neque malorum metum sive indigentiam in præcipuis causis Reip. admittere aliquem posse, quin a statu integritatis Republicas removere quoque debeat; satisque causæ habuisse Clariss. Achillem Epsteinium cur in *Disp. sua de Origine Juris sub Præs. Jo. Rebhanii A. 1665. ventilata §. 39.* has quæstiones tanquam æquivalentes inter se jungeret: *Sitne origo Rerump. adscribenda Juri Gentium (quod est pars Juris Naturæ) primævo an secundario? ut Dd. loquuntur. Seu, ut Philosophi quæstionem formant: sintne Republ. orta ex ipsa natura per se an verò ex accidenti? vel, si Theologorum termini magis placent: sitne Rerump. origo deducenda a natura corrupta post lapsum, an integra, qualis fuit in statu innocentie, ita, ut eadem perinde extitissent, si genus humanum in primæva integritate semper perstitisset?* Quas deinde quæstiones, Aristotelicorum placitis largius indulgens, in citata disput. ita solvit, ut non tantum Republicas originem suam, non ex Jure illo, quod ἐξ ἀνάγκης, propter supervenientem hominum ex lapsu imbecillitatem ortum; sed ipsissima hominis natura perfecta, qualis nempe fuit ante corruptionem, atque ex principiis illi congenitis, trahere, expressis verbis asserat, multisq; rationibus confirmet, sed & eodem sensu natura-

lena

Iem civitatem esse, in doctissimis suis *Annotat. ad Job. Frid. Hornii Polit. Architect. lib. 1. c. 4. p. 152. & seq.* doceat.

§. 49. Quo magis mirandum, Celeberrimos quosdam Viros, Aristotelicam aliàs de civitatis origine sententiam, tanquam naturalissima societas foret, per omnia haud probantes, in statu tamen integritatis Respubl. admisisse. Πολιτικώτατ certe *Conringius* ab illo perfectiori naturæ statu adeo non removeere easdem est ausus, ut in *Exercitat. sua de Urbibus Germanicis* non tantum §. IX. & seqq. Paradisiacas ejusmodi Respublicas manifeste propugnet, sed & §. XIII. deinde expressis verbis profiteatur, licet lapsi non essent homines, multo magis ad civilem societatem eosdem propendisse quàm ad alias inter se ineundas, cum tamen Vir laudatissimus in aureo suo *de Civili Prud. Tr. c. VI. p. 81. & seq.* humanam felicitatem a civili societate nequaquam suspendendam esse egregie docuerit; Prolixiora sunt verba quàm ut huc transcribi possint. Qui & pag. 96. addit: Coiisse primum homines in civilem cœtum, sive per potentiam aliis inferendæ sive arcendæ aliorum potentium injuriæ ergo, & historix nos docent, & dudum jam olim observatum est Platoni: sed & usus docet, iis maxime de causis homines hodieq; in civili societate contineri. His stantibus, quæ postremis hisce locis docet Vir laudatus, omnis evanescit Respublicas in statu integritatis admittendi necessitas.

§. 50. Et hinc est quod ingeniosissimus *Hesenthalerus* (cui civilem societatem naturalissimam cum Aristotele pronunciare ac defendere placuit) inspecto ante citato *Conringii* de Rebuspubl. Paradisiacis loco, optatissimam ansam sibi oblatam putaverit, tanti nominis Virum in partes suas pertrahendi; ratus scil. & *Coringium* ad naturalissimum hunc instinctum admittendum teneri, postquam in integritatis statu Respubl. citato loco admisisset.

§. 51. Et quid vero aliud Celeberr. *Conringio* obstitisse dicamus, quo minus Respubl. è Paradiso removeret, quàm quod malorum supradictorum metum, pro necessaria Rerumpubl. causa non haberet, ac citra illum condi posse putaret? Oppositam namque sententiam, quæ inter palmarias Reip. causas malorum illum metum refert, cum Paradisiacis Rebusp. conciliari haud posse, ipse *Conringius* citata *Dissert. de Urbib. Germ. §. IIX.* his verbis expresse fatetur: Aristoteles, inquit, vult hominem naturâ hoc est naturæ in-

ra innato instinctu ad civilem Societatem ferri, adeoque naturâ esse animal πολιτικόν. Hominem namq; etiam omni malorum metu absente, nihilominus naturâ civilem hanc societatem appetere. Videtur autem Aristotelis sententia præ aliis verisimilis, adeoq; ut in cæteris ita & hac in re maxime sequenda. Nam primæ quidem illius & secundæ opinionis Autores affirmare coguntur, quod si per Adami lapsum non in vitia defecisset humanum genus, nullam futuram fuisse civitatem; contra quam tamen omnino res se habere videtur.

§. 52. Plus etiam mirandum foret, laudatissimum *Pufendorfium* (*metum malorum pro palmaria causa habentem*) Rebus publicis Paradisiacis sic favisse, ut *Tr. de J. N. & G. c. 1. lib. 1. §. XI.* scriberet: Nescio an probabile sit, genus humanum, utut peccati expers, perpetuo intra unius horti spatia ævum fuisse exacturum, fructibus sponte enatis victitans, nec per industriam ac varias artes inventas cultura vitæ allata. Quid enim hominibus multiplicatis, particulares societates, Rerum publicarum instar habentes, sanctitati obstitissent, nondum dispicio. Nisi contrariæ sententiæ eum postea accessisse, aliunde nobis constaret. Consulantur ejusdem loca supra §. 22. citata.

§. 53. Omnium maxime mirandum, *Celeb. Virum Jo. Chr. Becmannum* Rebusp. Paradisiacis in *Medit. Pol. XI. §. 5.* applaudere voluisse, cum tamen *Medit. Pol. IV. §. 3.* originem societatis in genere (& consequenter civitatis) indigentiam ita causam esse cum *Hobbesio* statuatur, ut naturam esse neget. Id quod à *Celeb. Jo. Nic. Herzio* in *Elem. Prud. Civ. P. 1. Sect. 3. §. 5. p. 43.* eidem non immerito exprobratum fuisse, cernimus.

Aristotelis argumentum (1)

§. 54. Enimvero si exactius trutinare velimus argumenta illa, quibus sententiam suam fulcire *Aristoteles* ejusque propugnatores solent, *instinctum*, illa, *utriq; statui tam integro quàm corrupto communem*, adeo non evincunt, ut in altero illo, qui in statu innocentiae prodere ex illorum opinione se debuisset, probando, penitus deficient.

§. 55. Etenim quod argumentum, *a sermone, utile & inutile, justum & injustum innuente*, desumptum attinet, utpote quem frustra futurum esse putabat *Aristoteles*, nisi ad civitatem ordinatus homo fuisset, ne quidem in statu corrupto civitatem a natura institutam esse

solvitur

esse satis probat, & collectionis a Genere ad Speciem affirmativæ vitium, incurrere videtur: ut propterea vim demonstrandi illud habere, merito neget supra laudatus *Conringius*, quando ita scribit *Exercit. Pol. de Cive & Civit. in genere §. 48.* non sequitur: Si homo sermone in Civili societate non utitur utiq; frustra eum accipit; nam sermo magno usui, etiam in primis societatibus est, & fuit olim Patribus familias vicatim habitantibus, nam & in minoribus societatibus utili & inutili, justo atque injusto locus est, adeoque in illis utique reperietur id, quod ad innuenda ista homini natura, vel Autor Naturæ dedit.

§. 56. Et quamvis hanc a Genere ad Speciem affirmative colligendi maculam (quam Logicorum filii merito notare solent) quasi absterfuri, acutiores aliqui ex Peripateticis ita expolire hoc argumentum nitantur, ut a minori potius ad majus, quam a Genere ad Speciem collectionem hanc instituendam esse putent, ita scil. colligendo: (quomodo argumentum hoc emendandum arbitratur *Dan. Clasen in Comp. Pol. l. 1. c. 7. p. 104.*) Cujus rei usum natura intendit in primis societatibus, illum ipsa quoque intendit in civitate tanquam societatum omnium perfectissima. Ratio est: quia civitas ex illis societatibus componitur, & hæ societates civitati subordinatæ sunt, quippe quæ etiam illarum fines sub se comprehendit: Atqui sermonis usum natura intendit in primis societatibus, E. illius usum natura quoque intendit in civitate. Vel (ut sæpe laudatus *Conringius* cit. *Disp. de Cive & Civit. §. 49.* argumenti illius vim acuit) in quacunque societate homo proprium suum munus omnium optime & commodissime perficere potest, ad eam colendam utique natura ei dedit appetitum. At in civitate omnium optime & commodissime munus illud proprium homo perficere potest, (ut scil. secundum virtutem vivat & universalem Justitiam, quæ ferme in sola civitate est, observet) E. ad civilem societatem homini natura indidit appetitum. Quamvis inquam plus speciei ac roboris prædictæ argumentationi ita conciliare nitantur aliqui; non tamen istæ in prioris locum substitutæ argumentationes vim suam eo porrigunt, ut propterea instinctum aliquem, in statu integritatis sese exerturum, demonstrare possint. Πρώτον enim ψευδῶς illarum argumentationum est, quod Civitas sive Resp. perfectissima societas esse, propriumq; hominis munus perfectissime in ea se exserere supponatur: in quo

Exceptio

eliditur.

Civitas non est societas perfectissima,

E

tamen



tamen probando, succumbere tandem Aristotelicos omnino est
 necesse. Nam & perfectius homo proprium munus suum per-
 agere extra civitatem (suis quoque oneribus & incommodis
 gravem) omnino posset, modo humana malitia corrupto huic
 statui propria non obstaret, quæ proprium illud munus to-
 ties impedire ac turbare solet, ut ei refranandæ tali capistro sit
 opus. Et maritalis, paterna, imo ipsa societas humana, socie-
 tati civili perfectionis palmam non dubiam saltem reddere, sed
 & præripere illi vel ideo possunt, quod *istæ* utramque hominis
 naturam integram scil. & corruptam non dedecere, *hæc* cor-
 ruptæ tantum congruere eamque perficere, *illæ* instinctum utri-
 que naturæ communem præ se ferre, *hæc* instinctum corru-
 pto statui proprium supponere videantur, nec adeo civilis socie-
 tas illis *perfectior, nisi ex accidenti sive ex hypothesis & quatenus in statu*
corrupto illæ considerantur, haberi queat; ne dicam, quod de Ci-
 vitate, utrum, quia *absoluto sensu perfectissima societas* appellari
 non potest, *restrictiore saltem & in hypothesis* (quoad statum scil.
 corruptum) hoc nomen ideo mereri queat, quod omnibus aliis
 societatibus in eodem corrupto statu consideratis prævaleat, (id-
 que eximii sibi vendicet, ut quicquid in cæteris minoribus socie-
 tatibus intenditur vel obtinetur bonorum & commodorum, &
 securius possidere & tranquillius iisdem frui civitas nos faciat,)
 non immerito quoq; dubitari possit: quia non tantum antequam
 multiplicaretur valde genus humanum, pari, si non majori felici-
 tate extra societatem, non quidem omnem, civilem tamen vixe-
 re non pauci, Patriarchæ cum primis, quorum vivendi ratio &
 DEO quam maxime placuit, & ipsi, credo, cum civili commuta-
 re vita eandem noluisse; sed & post multiplicatam magis magis-
 que humanam gentem & una cum ea malitiam, ipsæ civitates ac
 Respubl. (satis licet primo perfectæ) tam perfectæ amplius non
 sunt agnitæ, quin ad majorem aliam societatem, plurium scil.
 fœderatarum Rerump. adspirare sunt coactæ. Egregie de hoc
 loquentem audiamus *πολυμαθές τε τον* Virum Chr. *Thomasium* P. 3.
Jurisprud. Div. c. 1. §. 34. seqq. Dubium adhuc, *civitatem* in uni-
 „versum esse *societatem perfectissimam*. Etsi enim facile majo-
 „rem perfectionem ei concedamus, quam societati gentium
 „communi, propter modo dicenda, non tamen propterea omni-
 „bus

bus societatibus majoribus præferenda est, certe non præferri
 meretur societati, quæ est inter plures Resp. confœderatas. Fœ-
 dera enim plerunque ineuntur propter commercia, aut propter
 auxilia bellica. Ista *ἀντάφραξιν* intendunt, hæc *εὐδαιμονίαν*.
 Utraque declarant civitates solas sapius non esse aptas ad finem
 suum consequendum, unde tum non erunt *societates perfectis-*
sime. Multam quoque lucem foenerabitur hisce, similis *Conringii*
 locus ex ante cit. *Exercit. de Cive & Civit. §. 46.* ad naturam hu-
 manæ societatis beate instituendæ faciunt alia primario, alia se-
 cundario. Etenim DEUS homines condidit rectos, probos,
 simplices, qui si intra hosce limites sese continuissent, etiam ci-
 tra magnam aliquam societatem, qualis civilis est, feliciter vi-
 vere potuissent. At postquam ab illa primæva virtute multum
 est discessum, & homo homini insidiari, imo vim inferre cœ-
 pit, ex eo ad vitam felicem ampliori societate opus fuit, qua &
 vis arceri, & cupiditati jam in morem tractæ potuit satisfieri.
 Itaque relictis vicis & villis civitates conditæ & habitatæ fuerunt.
 Verum & hæ quoque felicitati obtinendæ sine discrimine pa-
 res non fuere postquam magno numero homines injuriæ aliis
 inferendæ causâ in unum coire cœperunt, ut adeo alibi magnæ,
 alibi parvæ civitates vitam sic satis felicem degere potuerint. Ut
 concludamus, *civilis societas est ex natura instituto, & non est:*
Hoc quidem, si primævos mores spectes, nec enim ii exigunt, ut
actu ejusmodi societas ineatur; Istud, si mores attendas poste-
riorum seculorum, quippe cum vita humana citra civitatem
salva esse amplius nequeat. Fallor! an hæc ipsa verba persuade-
re alicui, rursus possent Resp. Paradisiacas per ipsa penitus tolli.
 Quicquid vero sit de eo, an limitato hoc sensu perfectissima so-
 cietas Respublica dici debeat, & si maximè appellatione hac frui
 eam sinamus; perfectissimam tamen in sensu absoluto dici eam
 non posse ex modo dictis & ex §§. 18. seqq. supra occurrentibus
 constare satis arbitramur.

§. 57. Quo nervo inciso, omni robore simul excidunt Aristote-
 licorum argumenta, quibus naturalissimum illum ad civilem socie-
 tatem appetitum & instinctum adstruere laborant, neque vis illa-
 rum ultra extendere se potest, quam ut multiplicati generis hu-
 mani salutem & incolumitatem per eam conservari, præsentis in
 statu nobis persuadeant.

§. 58. Al-

Argumen-
tum 2

§. 58. Alteram enim Aristotelis argumentationem quod spe-
ctat, qua civitatem naturalem societatem esse inde probare voluit,
quia *partes ejus, ex quibus constat, sint naturales*, si eidem scopo
applicaverimus, atque inde instinctum naturæ talem, qui vel in
ipso perfectiore & puriore hominis statu se exserat, probandum
susceperimus, quam infirma hæc futura sit collectio, facile perci-
piet, qui exacta lance trutinare eam volet. Quam enim multa
(ut scitissime huic argumento respondet *Conringius Disp. de Civitate*
„*nova §. 18.*) seorsim natura generavit etiam in naturalibus, quæ
„nonnisi arte & arbitrio solo humano, unum in corpus concreve-
„re, aut possunt ita concreescere!

profliga-
tur,

Hornii ar-
gumento


§. 59. Aut si quis cum *Jo. Fr. Hornio*, Aristotelis quoque par-
tes hac in causa defendente, *civitatemque, ut opus natura, quod natu-
rali ordine ac consecutione sit productum* deprædicante, ita argumen-
taturus esset: Continebat primos parentis conjugalis amor: na-
„tos Parentum tenerrimus affectus, inde familia, quæ multitudi-
„ne sobolis abundans, & quotidianis auctibus crescens novas co-
„lonias deducebat, donec civitati sufficeret. Præstabat id omne
„societatis ingenitus amor, qui consanguineorum cohabitatione
„incrementum capiebat; (vid. *in Polit. Archit. l. 1. c. 4. §. 6. n. 3.*
„*seq.*) Huic quoque satisfieri *Pufendorffii* responso posset, sequentia
regerentis *lib. VII. de J. N. & G. c. 1. §. 5.* per naturalem hanc con-
„secutionem causas impellentes, & pacta humana circa civitates
„constituendas excludere velle perinde est, ac si quis dixerit: ex se-
„mine crescit arbor, ex arbore fiunt tabulæ & trabes, hæc inter se
„rite compactæ navem constituunt; Ergo naturali consecutione
„atque ordine navis facta est; neque aut peculiarem id genus ædi-
„ficii habet causam, aut nullæ fabrorum operæ intervenerunt.
„Igitur agnoscimus quidem, fabulosum esse, magnam hominum
„multitudinem initio congregatam, dein per sylvas ac solitudines
„dispersam, postea denuo in civitates collectam. Nec minus ta-
„men & illud gratis fingitur; ex uno hominum pari, aut post di-
„luvium è quaternis familiis ita repente civitates coaluisse,
„nulla peculiari causa impellente, aut nullis
„pactis intervenientibus.

responde-
tur.

S. D. G.

⌘ : (o) : ⌘





Altdorf, Diss., 1699-1701

ULB Halle
006 570 410


3



V317







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

15

1700. 5

PHILOSOPHICA
REIPUBLICÆ
SCIENTE
VAM IMPULSIVA,
philosophiæ Eclecticæ lancem
ca admitti possit sententia,
ns.
I D E
O RÖTENBECCIO,
bl. Celeberrimo,
onoribus impetrandis,
1700.
ni subjicit
S KVL MICH, Norimb.
FL,
Univerſitatis Typographi.*

12

